

lum est calumniæ. Nec obstat c. 2. h. t. dicens in causis spiritualibus nec dari, nec recipi juramentum: nam dispositio ista correctæ est à Bonif. VIII. c. 4. in fin. h. t. in 6. Excipiuntur,—causæ notoriæ, in quibus non observatur ordo juris, nec probatio est necessaria:—causa *inquisitionum*,—et communiter causæ criminalis, saltè majores criminaliter intentatæ, in quibus accusatori, non verò reo deferendum est juramentum calumniæ. Wesemb. Zoes, Schmier etc.; tum quia manifestum est periculum perjurii: tum quia juramentum calumniæ fit super credulitate, seu bona fide; in criminalibus autem fieri deberet super scientia et veritate delicti. Sufficiet ergò in criminalibus, si post semiplenam probationem et alia indicia deferatur reo juramentum veritatis. Unde (c. 4. h. t. ibi in causa *quacumque, seu criminali, seu civili* et l. 1. in omnibus causis C. h. t.) restringi debent ad causas criminales civiliter intentatas.

Die 6 Julii 1697, discusso dubio in S. Congreg. Conc., an expediret à summo Pontifice abrogari consuetudinem exigendi à reo in criminalibus juramentum, quamvis rescriptum fuerit, ut scriberent pro veritate theologi et canonistæ (ut ex lib. 29. decret. ejusdem S. Congreg. fol. 430., et lib. 30 fol. 33), nulla tamen decisio facta fuit, ideoque in suo robore eadem consuetudo firma remansit. Verùm post Concilium Romanum à Bened. XIII. celebrat. an. 1725, ab ea recedendum omnino est; tit. enim 43. cap. 2. ejusdem Concil. præcipitur, ne in posterum sub pœna nullitatis omnium actorum exigatur juramentum à reis, cùm judicialiter uti principales examinantur. **

71. Q. V. Quæ sit pœna recusantis jurare de calumnia?

R. 1.º Actor causa cadit, seu actionem amittit; reus verò habetur pro confesso, non ante, sed post sententiam judicis (cap. fin. in fin. h. t. et l. 2. §. 6. cum auth. C. eod.); nisi quis moram suam purget, jurando ante sententiam illativam pœnæ. Si autem quis in causa incidenti nolit jurare, hac sola cadit, non verò causa principali.—2.º In causa spirituali, ut beneficii, matrimonii, jurispatronatus etc., actor renuens jurare, plerùmque causa cadit; reus verò non hoc ipso vincit, sed causam suo modo justificare et probare debet, ne detur vitiosus ingressus in beneficia, contra reg. 4. in 6.; et ne periculum animæ incurratur, præsertim in matrimonialibus.—3.º Procurator, vel administrator recusans jurare de calumnia, non nocet domino (l. un. §. 2. ff. si quis jus dic. et Can. si Episcopum 16. q. 6.); nam vel recusat jurare in animam principalis secundùm mandatum speciale, et sic nihil agit, utpote contra mandatum delinquens; vel recusat jurare in animam suam, postquam dominus personaliter juravit in animam propriam, et sic repellendus est (arg. l. 14. 45. C. de judic.); imò pœna aliqua pecuniaria plectendus, ut observatur in Camera imp. Gail, et alii.—4.º Pœna recusantis jurare de calumnia non est extendenda ad recusantem jurare de malitia (arg. reg. 49. in 6.); adeoque locus erit pœnæ arbitrariæ, nisi de consuetudine tribunalis actor ab hoc articulo cadere, et reus pro confesso in eodem articulo haberi deberet, ut observatur in Camera.

72. Q. VI. Quis sit effectus juramenti calumniæ?

R. Præsumpta æquitas, quæ litigantem in foro externo liberat à calum-

nia. At juramentum calumniæ non liberat ab expensis solvendis victori, ut teste Saliceto tenet totus mundus contra Accurs. et Bartol. Nam expensæ non solvuntur tantùm ob calumnia, sed etiam ob temeritatem litigandi (tit. Inst. de pœna temer. litig.); potes autem quis esse temerarius litigator, etsi non sit calumniator, cùm aliud sit temeritas, aliud calumnia.

TITULUS VIII.

DE DILATIONIBUS. *

73. Nota I. Hic non agi de dilatione generatim sumpta, prout est determinatio temporis, intra quod aliquid fieri debet, nec de dilationibus, seu induciis extrajudicialibus; sed de solis judicialibus, quæ sunt: *justum temporis intervallum*, quod à jure vel judice pro tribunali sedente ex justa causa actori, vel reo conceditur ad actum aliquem judicialem meliùs expediendum. Ità in re com. ex l. 4. C. h. t.; nam sæpe necessarium est, ut judex, utraque parte præsentem, causam, v. g. maturæ deliberationis, indagandæ veritatis, et hujusmodi cognoscat; et si justam reperit, interlocutoriè pronuntiet, concedendam esse dilationem; secùs autem negandam (l. 4. C. h. t.) Species dilationum 24 numerat Reiff. ex Speculatore, sed omissis aliis.

Nota II. Dilationem ex parte causæ efficientis dividi in *legalem, conventionalem, et judicialem specificè*, seu *arbitrariam*. *Legalis* est, quæ conceditur à lege, ut decendum ad appellandum. *Conventionalis* est, quæ conceditur ex mutua conventionem partium, ut si consentiant super prorogatione negotii, vel termini ad solvendum. *Judicialis*, quæ attentis circumstantiis ex arbitrio judicis conceditur, et ideo vocari solet *arbitraria*, in omni parte judicii concedi solita.—Ex parte causæ materialis, dilationes aliæ deserviunt principio judicii, ut *citatoria, deliberatoria, et recusatoria*; aliæ medio, ut *probatoria, et allegatoria*; aliæ fini, ut *definitoria, et executoria*, de quibus in sequentibus.

74. Q. I. Quæ dilationes concedi soleant ante litem contestatam?

R. 1.º *Citatoria*, seu *expectatoria*, quæ reo citato datur ad comparendum et respondendum libello actoris. Post singulas citationes simplices dilatio est decem dierum, quibus ter elapsis, vel elapsa una peremptoria, judex non tenetur expectare reum, nisi ex humanitate velit ei adhuc unum edictum mittere (l. 73. ff. de judic. c. 24 de off. deleg.) At jure recentiori videtur citationi simplici concedi dilatio 30 dierum (auth. qui semel C. quomodo et quando); licet P. Reiff. dictam authenticam asserat procedere in casu speciali, quo actor, reo contumaciter absente, vult

*—Agitur de hac materia in Extravag. com. h. t.—In Decreto 3. q. 2. 3.—In Pandectis lib. 2. tit. 12.—In Codice lib. 3. tit. 11.

procedere ad probationes, ut pro eo sententia definitiva feratur.—2.^o *Deliberatoria*, quæ unica, adæque peremptoria, per 20 dies conceditur reo ad deliberandum super libello oblato, an litigare velit (*auth. offeratur C. de litis contest.*) Similiter actori super exceptione à reo opposita concedi potest talis dilatio, cum super illa exceptione non potuerit comparere instructus.

3.^o *Recusatoria*, seu *declinatoria fori*, quæ conceditur reo ad proponendas omnes exceptiones dilatorias, priusquam litis contestatio fiat; nam tunc recusari potest iudex, ut suspectus (*l. 46. C. de judic.*), impugnari rescriptum (*l. 2. C. h. t.*), repelli actor vel procurator, et excommunicatus, vel ex alio defectu non habens legitimam personam standi in iudicio; item potest laudari actor pro casu evictionis (*l. 8. C. de evict.*), ob quas et similes causas hæc dilatio nulli tempori alligata, adæque arbitraria, merito conceditur.

75. Q. II. *Quæ dilationes post litem contestatam in termino probatorio concedantur?*

R. 1.^o *Dilationes probatoriæ*, quæ dantur utrique parti litigantium ad probandum; et quidem, actori ad formandas positiones et articulos probatorias, reo verò ad respondendum, utrique producendum testes et instrumenta (*c. 1. h. t. l. 1. 2. C. eod.*) Et quidem, si probationes petendæ sunt ex eadem provincia, assignantur tres menses; si ex aliena, continenti tamen, non ultra sex; si ex transmarina, non ultra novem (*l. 1. et fin. C. eod.*) Ceterum in causis pecuniariis regulariter una tantum datur dilatio probatoria: ex juxta autem causa, etiam secunda et tertia: quarta verò non aliter conceditur, nisi cum solemnitate legali, ut eam petens ex causa probata juramento, asserat quòd malitiosè illam non petat, quæ solemnitas pariter observatur, si petatur prorogatio quartæ dilationis (*c. 15. de testib. auth. at qui semel. C. de probat.*), jure camerale quarta dilatio abrogata, sed si justa causa adsit, petenda est prorogatio tertiæ dilationis, cum dicta solemnitate (*rec. 1654. §. 50.*) Hæredi autem regulariter concedi solet nova dilatio (*l. 7. ff. de feriis.*) At in causis criminalibus reo tres dilationes, accusatori duo dari possunt, sed utrumque, causa cognita (*l. fin. ff. eod.*), quæ communiter extenditur ad omnes causas criminales, quia in his probatio est difficilis.—2.^o *Dilationes allegatoriæ*, quæ dantur ad allegandum, regulariter conceduntur etiam tres successivè, singulæ per 30 dies (*auth. habemus C. de judic.*); nam iudex, auditis probationibus et exceptionibus, priusquam sententiam ferat, solet interrogare partes: an quid præterea habeant ad allegandum seu proponendum? Et si altera partium dicat se adhuc velle aliquid proponere, datur ei dilatio ad allegandum.

76. Q. III. *Quæ dilationes concedantur ad finem iudicii?*

R. *Definitoria et exequentoria.* Definitoria datur ex arbitrio iudicis ad tempus sententiæ definitivæ: v. g. sententia feretur calendis decembris, et qui tali die non comparuerit, etiam in ejus absentia sententia feretur (*l. 71. ff. de judic.*) Potest autem ejusmodi dilatio dari etiam secunda, vel tertia, nisi prima sit peremptoria.—Exequentoria dilatio datur ad satis-

faciendum sententiæ latæ. Et quidem, in actionibus personalibus pecuniariis conceduntur reo condemnato 4 menses (*c. 24. de off. deleg. c. 15. de sent. et re jud.*); in actionibus verò realibus statim fieri potest exequentio; nisi reus justam causam habeat, ob quam mox restituere non possit rem evictam (*§. 2. In. de off. Jud. l. 68. ff. de R. V.*)

77. Q. IV. *An hodie dilationes judiciales sint arbitrarie*, hoc est, ut consideratis circumstantiis personarum, locorum et impedimentorum, iudex illas ampliare, vel restringere possit?

R. Affirmativè, ex com. sententia. Nam licet ea quæ jus concedit independentè à ministerio iudicis, non possint per iudicem mutari, uti tempora appellationum; tamen ea quæ jus concedit, causa cognita, seu mediante ministerio iudicis, pro varietate circumstantiarum ampliari vel restringi possunt, ne aliàs jus evadat iniquum, *l. 7. ff. de feriis ibi: sed utilitatis litigantium gratia*, et *l. 1. C. h. t.*, ubi iudici extra casum urgentissimæ rationis prohibetur ampliatio dilationum; ergò si talis ratio occurrat, licebit iudici ampliare dilationem. Idem dic de prorogatione dilationis, qua extenditur dilatio labens, imò et lapsa, modò res sit integra.—Causæ ampliandi dilationem sunt: arduitas rei, distantia locorum, impedimenta temporum et personarum (*c. fin. h. t. l. 137. §. 2. ff. de V. O.*) Causæ autem restringendæ sunt: periculum ne res pereat, rei vilitas, necessitas alimentorum, damnum majus re ipsa; ut si asinus, vel equus plus consumeret tempore dilationum, quam constaret.

78. Q. V. *Quomodo tempora dilationum computanda sint?*

R. Prima dies datæ dilationis non computatur, sed altera proxima; ultima verò dies cedit impetranti, ut sufficiat ultimo momento hujus diei comparere (*arg. c. 1. de rest. spoliat in 6. l. 44. ff. de V. O. et §. 2. In. de V. O.*) Medium autem tempus est continuum, computatis diebus feriatis et non feriatis (*l. 3. C. h. t.*); nisi forsàn plures essent dies feriati, quàm non feriati; tunc enim æquum est feriatos dies suppleri per utiles.

79. Q. VI. *Qui sint præcipui effectus dilationum?*

R. 1.^o Dilatio uni parti concessa prodest etiam alteri litiganti, ut, ea invita, renuntiari non possit datæ dilationi (*l. 3. in fin. C. de temp. in integr. restit.*)—2.^o Pendente dilatione, conquiescit officium iudicis, ac proinde nihil innovandum est super eo articulo, super quo dilatio impetrata est; nisi forsàn reus suspectus sit de fuga (*l. 3. C. h. t.*)—3.^o Finito dilationis tempore, si pars non compareat, actus perimitur, qui in dato termino fieri debuit, et iudex ad ulteriora procedere potest. Nec hic opus est interloqui, quia ipsa dilatio finita vim habet sententiæ interlocutorie (*l. 3. C. h. t. et arg. c. 1. eod.*)

TITULUS IX.

DE FERIIS.

80. Nota I. *Ferias* dici à ferendis hostiis, quas veteres suis Diis imolabant, ità ut nefas esset his diebus aliquid in iudicio tractari, et ideo etiam *dies nefasti*, festi, seu feriati dicebantur. *Feriae* autem quoad rem pro præsenti sunt: *dies quibus jus non dicitur*, seu vacatur à strepitu iudiciali; et si sunt *feriae sacræ*, insuper abstinetur à mercatura et opere servili. Differunt à dilationibus, quia hæc contingenter dantur ad instantiam et utilitatem partium; *feriae* verò stabiliter institutæ sunt ad honorem Dei, vel bonum publicum.

Nota II. *Ferias* dividi: in *ordinarias*, seu *legales*, aut *solemnes* quæ stabiliter à lege vel sacr. Canonibus constitutæ sunt, et ideo *statæ* et *anniversariæ* dicuntur; et *extraordinarias*, quæ ob repentinam causam à principe indicuntur, v. g. in die inaugurationis principis, victoriae etc.—*Ordinariae*, aliæ sunt *sacræ* in cultum Dei et sanctorum institutæ; aliæ *profanæ* in hominum utilitatem inductæ; uti sunt *feriae rusticæ messium*, et *vindemiarum*; item *feriae nundinarum et nuptiarum*, quibus per statuta sacr. Canonum nuptiæ solemniter celebrari prohibentur.—Hic potissimum agitur de feriis iudicialibus, uti sunt *sacræ*, *rusticæ*, et *repentinæ*; ex quibus *rusticæ messium*, et *vindemiarum* pro varietate locorum vario tempore sunt constitutæ.

81. Q. I. *An die feriato exerceri possit placitum*, hoc est, actus forensis, qui fit cum strepitu iudiciali?

R. Negative, (c. 1. h. t. et l. fin. C. eod.); nam dies feriati ex dispositione juris non sunt iudicij; ergò in illis jus dici non potest (l. 7. C. eod.) Porro, licet partes renuntiare possint feriis rusticis, ut in his, si iudex velit, iudicium possit prosequi, cum *feriae istæ institutæ sint in privatum favorem partium*; tamen renuntiare non possunt feriis sacræ et repentinis, utpote ob publicam causam honoris divini, vel principis institutis (c. fin. h. t. ibi: *consentientibus etiam partibus*); alioquin acta iudicialia sunt invalida, et sententia die sacro prolata est nulla (cit. c. fin. et l. 2, 7. C. h. t.), exceptis duobus casibus: *necessitatis*, ut si reus suspectus est de fuga, si periculum est in mora, si latrones capiendi, si rustici et pauperes alio tempore ad iudicium venire nequeant etc.; *pietatis et misericordiae*, ut si agatur de causis alimentorum, carceratorum, matrimoniorum etc., cit. c. fin. h. t.

82. Q. II. *Qui actus iudiciales in specie prohibeantur die festivo?*

a—Agitur de hac materia in Decreto 15. q. 4. et c. 1. consecr. d. 3.—In Pandectis lib. 2. tit. 12.—In Codice lib. 3. tit. 13.

R. 4.º *Citatio decretoria*. Abb. Gonz. et alii contra Fagn. Reiff. etc. qui docent à iudice extra tribunal posse die festo confici decretum citationis. Prob. ex l. fin. c. h. t. ibi: *sit ille dies à cognitionibus alienus*: confectio autem citationis requirit cognitionem causæ ad statuendum terminum citato. Multò minus solemnis citatio per *proclama*, vel *capturam* fieri potest die festo, cit. l. fin. ibi: *præconis horrida vox silescat*. Quod si citatio fiat die iudicio ad diem non iudicum seu feriatum expressè, v. g. *die dominico comparere*, non valet, cum omnis strepitus cesset die feriato. At si tacitè fiat in diem feriatum, v. g. ut compareat 6 Junii, quo die occurrit festum, citatio regulariter fertur in sequentem diem proximum iudicum (arg. c. 6 de dolo et contum.)—2.º Nec examen, aut depositio testium, et multò minus iuramentum illorum, fieri potest die festo (c. 1 et fin. h. t.), cum testes cogi non possint ad testificandum l. fin. C. 4. t. ibi: *nulla quemquam urgeat admonitio*; et aliunde actus isti multum habent de strepitu iudiciali.—3.º Sententia et ejus executio, dum exercentur cum strepitu forensi, invalidè fiunt die festo, c. fin. et l. fin. C. h. t. ibi: *ut à cunctis executionibus excusetur*.

83. Q. III. *Qui actus iudiciales licitè et validè fieri possint diebus festivis?*

R. 1.º *Oblatio libelli*, quia est tantum preparatoria ad iudicium absque ullo strepitu. Idem dic de citatione privata per nuntium aut litteras. 2.º *Sententia*, quæ fertur sine cognitione et strepitu iudiciali, uti etiam actus jurisdictionis voluntariæ; ut emancipare, manumittere, veniam ætatis concedere, dispensare, magistratum creare etc., exceptis illis, qui solemnem causæ cognitionem prærequirunt; ut arrogatio, honorum possessio decretalis, etc.—3.º *Sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti*: nam pœnæ istæ feruntur per modum præcepti, et in bonum, seu medicinam animæ.—4.º *Appellatio*; tum quia hæc fit sine strepitu, tum quia vim habet defensionis, quæ cuicumque et quovis tempore jure naturali est permessa. Oppositum tamen tenent Zoes, Schmier, et alii.

84. Q. IV. *Quis possit instituere ferias sacras, et quid in eis observandum?*

R. Ad 1.º Solus Princeps Ecclesiasticus, scil. Papa pro tota Ecclesia, et Episcopus pro sua diœcesi instituere potest ferias sacras: ità catholici contra hæreticos. Nam laici in spiritualibus nullam habent auctoritatem, utpote quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi (c. 10. de const.) Unde Innoc. X. Cons. incip. *Cum nuper*, an. 1657. die 6. Octobr. irritum declaravit edictum Gubernatoris et senatus Mediolanensis, quo festum S. Dominici festivè celebrari præcipiebatur. At ferias profanas princeps politicus, et quidem solus, instituit, (l. 4. c. h. t.), licet earum determinatio quoad tempus spectet ad præsides et proconsules. (l. 3. ff. h. t. et l. 7. ff. de off. procons.)

Ad 2.º Præceptum celebrandi ferias sacras partim est affirmativum de missa audienda, partim negativum prohibens opera servilia; iuramentum etiam extrajudiciale, quo pacta et contratus solemniter firmantur, excepto iuramento pacis; mercatum, seu nundinas, nisi aliud habeat consuetudo, et omne placitum, seu stre-

pitum judicialem, (c. 1. h. t.) Venatio moderata, uti et piscatio in flumine videtur permissa, non tamen piscatio in mari.

Ex Const. Bened. XIV. *Ab eo tempore* (5. Nov. 1745. §. 22.) denuo prohibentur mercatus diebus festis, et si in illos incidant, statuitur, transferendos in antecedentem, vel in subsequentem diem. Et §. 30 mandatur locorum Ordinariis ditionis Ecclesiast. satagere, et constituere auctoritate ipsiusmet Pontificis, ut matutinis et vespertinis horis, quibus die festo, quo nundinae habentur, claudi debeant apothecae, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad nundinas confluerunt, missae sacrificio, et divinis officiis intersint, aliisque christianis operibus festum sanctificent: quemadmodum ipsemet jam antea sanxit in const. *Paternae*, (4. Aug. 1744.) pro nundinis Senogalliensibus, quarum dies in compensationem immunitatis hac de causa saecularibus negotiis temporis, cum iisdem privilegiis, et immunitatibus multiplicavit, addendo alios quinque praeter consuetos.

Præcipitur praeterea altera const. *Nihil profectò* (12. Aug. 1742. §. 3.), ut ab Episcopis turpes et obscenae exercitationes puerorum, et adolescentum nudorum cursus, luctaque, festis potissimum diebus, quocumque nomine et occasione exhibendae, eliminentur.

TITULUS X.

DE ORDINE COGNITIONUM. ^a

85. *Nota I.* In cursu plurium causarum, ne confusio fiat, ordinem cognitionum observandum esse. Ordo autem cognitionum nihil est aliud, quam prioritas et posterioritas in cognoscendis et decidendis pluribus causis in iudicium deductis.

Nota II. Dari quasdam quaestiones *praedjudiciales*, à quibus altera causa ita pendet, ut cognosci nequeat, nisi prius cognoscatur quaestio praedjudicialis; et sententia lata in una parit exceptionem rei iudicatae in altera, atque ita ei praedjudicium affert: ob quod etiam dicitur *praedjudicialis*, vel quia praeter illa iudicari debet. Rursum, exceptio alia est *incidens*, seu *peremptoria*, quae actionem mero jure competentem ita excludit, ut illam omnino perimat, v. g. exceptio metus, Jcti. Vellejani, Macedoniani etc.; alia est *incidens à cadere*, seu *emergens*, quae negotium principale non perimit, sed tantum differt; et ideo vocari solet *dilatoria*: unde illud Glossae (c. 1. h. t.) *incidens perimit, emergens quaestio differt*. Dicitur autem *emergens*, quia non competit reo ante litem inchoatam, sicut competit peremptoria, sed primo emergit sub lite, v. g. an danda sit di-

^a—Agitur de hoc in Decreto 2 q. 2. et 3. q. 1. 2.—In Codice lib. 3. tit. 9. de ordine iudicior.

latio, an hic testis recipiendus. Sed circa haec diversus est modus loquendi, etiam in ipso jure, quia voces istae in diversa significatione accipiuntur, ut patet ex c. 1. h. t., ubi exceptio consanguinitatis dicitur *peremptoria*, cum tamen sit exceptio meri facti nullam de jure actionem praesupponens, quam perimat, eo quod ex matrimonio invalido nulla actio, seu petitio nascatur. Quare pro claritate:

Nota III. Quod illa dicatur causa, seu quaestio *principalis*, quae primario et per se deducitur in iudicium; illa verò *incidens*, seu *concurrentis*, quae ratione causae principalis incidit, concurrat, seu suscitatur in iudicio; sive deinde sit pura dilatoria, sive peremptoria de jure, aut de facto, sive litis finitae, sive strictè praedjudicialis, quae reipsa coincidit cum peremptoria. Et hic modus loquendi habet fundamentum in l. 3. C. de iudic. in l. 3. C. h. t., ubi quaestio status dicitur concurrentis, et quaestio criminalis incidens; et c. 1. h. t., ubi exceptio consanguinitatis dicitur peremptoria, puta de facto.

86. Q. I. *In concursu plurium causarum, quae prius cognoscenda est?*

R. Regulariter loquendo, illa causa prius est cognoscenda, quae prius in iudicium deducta, arg. reg. 54. in 6.: *qui prior tempore, potior jure*; et l. 29. ff. de iudic.: *qui appellat prior, agit*. Sed haec regula suas patitur exceptiones, et quidem:—1.º Si duae causae aequè principales simul tempore deductae sunt in iudicium, simul tractandae sunt, cum non sit ratio unam alteri praefereendi; nisi actor vellet unam citius finire.—2.º Si concurrat causa major cum minori, ut criminalis cum civili, causa major utpote dignior prius tractanda est (l. 54. ff. de iudic. l. fin. C. hujus tit.).—3.º Si concurrat sive principaliter, sive incidenter causa, à cuius decisione pendet decisio alterius causae, illa prius tractanda est (c. 1. 3. h. t. l. 1. 2. C. eod. l. 3. §. 8. ff. de agnoscend. et al. liber c. 3. qui. fl. legit.); nam iudex inutiliter in altera causa procederet, cum ejus cognitio pendeat ex cognitione alterius causae praedjudicialis. Unde prius tractanda est causa status circa libertatem, vel legitimam nativitatis, quam haereditatis, aut alimentorum; prius exceptio consanguinitatis, quam causa matrimonii; prius super beneficio valide obtento, aut matrimonio valide inito, quam super decimis dandis, vel super dote. Et generaliter prius cognoscitur super *exceptione strictè peremptoria*, quae actionem mero jure natam perimit; ut exceptio metus, doli, pacti de non petendo, rei iudicatae etc. Item super *exceptione late peremptoria*, seu *facti*, ut vocant, qua excluditur actio tantum de facto intentata, et de jure non competens, vel jam extincta; ut exceptio consanguinitatis, nullitatis, tituli inhabilis ad beneficium etc., quo etiam spectant exceptiones litis finitae ut soluti, usucapti, permutati etc.—4.º Exceptiones dilatoriae prius cognoscendae sunt, quam causa principalis; imò etiam per sententiam interlocutoriam terminandae, uti est exceptio fori incompetentis, iudicis suspecti, actoris excommunicati, inhabilis, procuratoris falsi etc. (l. 4. C. de dilat.; ibi. *suscepta quaestio per sententiam iudicis dirimatur*, et l. 26. C. ad. L. jul. de adulter). Ratio primi est, quia talis exceptio objecta, dicit non esse procedendum iudici: ergò, ne iudex

procedendo faciat contraria in eodem iudicio, abstinere debet à processu in causa principali, et interim cognoscere de exceptione objecta. *Ratio secundi*, quia sententia in causa principali virtualiter non continet sententiam super exceptione dilatoria; cum una ab altera necessario non pendeat; ergo super exceptione dilatoria iudex prius interloqui tenetur, ut deinde super causa principali procedere possit, vel abstinere.

87. Q. II. *An iudex super exceptione peremptoriè cognita pronunciare debeat sententiam interlocutoriam?*

R. Negativè regulariter loquendo. Ità l. 1. C. de ord. iudic. ibi: *quoniam non de ea, sed de hæreditate pronunciat*, hoc est, iudex non pronunciat de exceptione peremptoria, seu quæstione præjudiciali status, sed tantum de causa principali hæreditatis. Ratio est, quia sententia super causa principali tacite in se continet sententiam super exceptione peremptoria et præjudiciali: nam qui pronunciat matrimonium esse validum, etiam tacite pronunciat nullum adesse impedimentum dirimens etc.—*Nec obstat l. 74. de qua re ff. de iudic.*; nam intelligenda est de pronuntiatione expressa, vel tacita. *Excipe casum*, quo causa profana principalis proposita est coram iudice laico, et concurrat quæstio incidens spiritualis, v. g. super legitimitate liberorum, et valore matrimonii; tunc enim quæstio spiritualis, respectu cuius laicus est incapax, remittitur ad iudicem ecclesiasticum, et ab eo per sententiam terminatur (c. 5. 7. qui fil. legit. et c. 3. h. t.), ubi Honorius III. scribit Ludovico Regi Gallie, ne procedat in causa successionis, donec ille terminet causam natalium, an scilicet ex legitimo matrimonio orta fuerit Regina Cypri.

88. Q. III. *Quomodo cognoscenda sit causa spoli?*

R. Cum distinctione:—1.º Si reus objiciat spoliationem per modum exceptionis, prius cognoscenda est acceptio spoli, et per sententiam interlocutoriam terminanda (c. 2. §. sed quoniam h. t.): nam exceptio spoli est dilatoria retardans processum iudicium in causa principali; ergo prius cognosci et terminari debet, etsi actor agat etiam in causa spoliationis; quia in eodem delicto favorabiles sunt partes rei, quam actoris (l. 125 ff. de R. J.) Hoc tamen casu actor non tenetur restituere spolium reo, cum reus excipiendo hoc non petat, sed præcisè repellat actorem ab agendo; si autem actor vult agere, prius restituere debet spolium reo.—2.º Si causa spoli proponatur per modum actionis à reo, simul tractari debet cum causa principali actoris, et utraque per unam sententiam terminari, (cit. c. 2. §. nos autem h. t.): nam in tali casu concurrunt mutue petitiones, seu conventio et reconventio; ergo gaudent simultate processus et sententiæ; ità tamen, ut causa actoris, utpote prior, in cognitione sit præferenda, *ibid.*

TITULUS XI.

DE PLUS PETITIONIBUS. *

89. *Plus petitio* est excessiva petitio actoris aliquid ultra debitum à reo apud iudicem exigentis. Modi autem plus petendi sunt quatuor (per c. un. h. t. §. 33. In. de action.):—1.º *Plus causa*, dum petitur aliquid certum in specie, seu individuo, quod est debitum tantum in genere, vel alternativè: ut si debeatur equus, vel pecunia, et actor petat determinatè hunc optimum equum.—2.º *Plus re*, seu *quantitate*, dum petitur major quantitas, ut 20 vel totum, cum debita sit minor quantitas, ut 40 vel tantum pars, v. g. fundi.—3.º *Plus tempore*, dum debitum certo die, vel sub conditione petitur ante adventum hujus diei, vel conditionis; nam *quæ ratione qui tardius solvit, minus solvere intelligitur, eadem ratione, qui præmaturè petit, plus petere videtur* (cit. §. 33. v. tempore).—4.º *Plus loco*, dum quis alibi ad solvendum convenitur, quam ubi constitutum fuit; nam debitoris sæpe interest in hoc potius quam alio loco solvere.

90. Q. I. *Quæ sit pœna plus petentis?*

R. 1.º De jure antiquo plus petens causa cadebat, quæ pœna sublata est, excepto uno casu: si quis dolo malo cautionem obligatoriam super majori quantitate, quam sibi debeatur, exigat (l. fia C. h. t.).—2.º De jure civili recentiori *plus tempore* petens, admittit sumptus litis, et tenetur debitori duplicare inducias temporis, vel integri, quod præfixum fuit ad solvendum, ut volunt Jo. Andr. Schneip. et alii ex §. 40. v. hodie autem, in. de exception.; vel saltè temporis anticipati, ut docent Bartol. Gonz. Zoes etc. Qui autem plus petit *causa, re vel loco*, tenetur debitori damna illata resarcire, et triplum dare ejus, quod viatoribus, seu exequutoribus nomine sportularum ob majorem quantitatem libello expressam solutum fuit (§. 24. Inst. de act.)—3.º De jure Can. (c. un. h. tit.), *re aut causa* plus petens, condemnatur debitori in expensas, *loco* plus petens obligatur ad resarciendum interesse, *tempore* plus petens, tenetur duplicare inducias. Et quia in cit. c. un. non exprimitur pœna tripli, inferunt Abb. Gonz. et alii, pœnam istam esse sublatam de jure Can., quod etiam in foro seculari observari asserunt Abb. Manx. etc. Sic etiam proportionaliter puniendus et in expensas condemnandus est reus, qui plus negat, quam actor justè petat; alioquin si actor plus petat, et reus plus neget, regulariter locus est compensationi.

91. Q. II. *Quæ causæ excusent à pœnis plus petentium?*

R. Seqq.:—1.º Si plus petatur, non dolo, sed probabili ignorantia, aut errore (l. pen. C. ad. l. Falcid.)—2.º Si actor pœnitentia ductus ante vel

*—Agitur de hac materia in Inst. lib. 4. tit. 6. §. 33.—In Codice l. 3. tit. 19.